



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cura Salvts, Sivæ De Statu Vitæ Mature ac Prudenter Deliberandi Methodus

Hevenesi, Gábor

Coloniae, 1716

VD18 13912755

Qui possint securè manere in sæculari statu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50144)

plōque. Ipsi novimus fortasse plures, qui cum fervore hoc sensim deficiente ita intepuerunt, ut respicere cōperint, & quas prius deseruerunt sēcularis vitæ delitias, ad eas gradum retulerint. Nec deteriora desunt exempla eorum, qui clam à Religione defecerunt Apostatæ facti, & quodd longè deterrimum, aliqui etiam ad hæreſes transiverunt.

Qui possint securè manere in sēculari statu.

1. **Q**ui habent impedimentum, vel ex parte corporis, vel ex parte animi, quò minus possint fieri Religiosi, debent idipsum accipere pro signo divinæ voluntatis, volentis eos manere in statu sēculari, ut sunt:

2. Nimium debilis complexionis, qui non possent satisfacere obligationibus ordinis Religiosi. Huc revocandi etiam infirmi, qui plus oneris, quàm emolumentum afferrent Religioni.

3. Qui notabili vitio corporis laborant, ut cœci, claudi, mutili, valde deformes.

4. Aliquæ Religiones non admittunt eos, qui usque ad quartam generationem descendunt à Parentibus Judæis vel Sacracenis.

5. Quos

5. Quos major obligatio impedit , prout esset v.g. mancipatus, tales cum injuria Domini , absque hujus venia , nec Religionem , nec sacros ordines adire possunt.

6. Qui gravantur ære alieno , nisi prius hoc expungant ; hi enim onerarent Religionem.

7. Si quis contraxisset sponsalia , sine partis alterius consensu illicitè intraret Religionem, aut statum Ecclesiasticum.

8. Si ex alicujus ingressu ad Religionem sequeretur grave damnum Reipublicæ ; ut accidere posset in filiis Regum, aut magnorum Principum.

9. Qui obligaretur Patri, & Matri in extrema necessitate constitutis succurrere , & hoc in Religione non posset præstare.

10. Qui pravis habitibus aded diuturnis , & pertinacibus esset immerfus ; ut post conatus etiam serios , & diu probatos sperari prudenter non posset emendatio ; spes enim emendationis ad ingressum Religionis dilata plerumque est vana ; locum tales mutant , non vitium.

11. Qui sunt sui Judicii nimium pertinaciter tenaces , nec caput suum alteri

teri submittere possunt ; uti etiam nimium melancholici , & suspicionibus subjecti ; vel in ira , imò furia præcipientes, quomodo enim hi in pace & charitate cum suis Confratribus viverent ?

12. Nimium stupidi & incapaces , qui nulli negotio serio gerendo apti fore censerentur ; tales opprobrio potius essent Religioni.

13. Aliquæ Religiones à sui consortio excludunt eos , qui sponte homicidium commiserunt , aut qui ob enormia scelera sunt infames.

14. Qui ingressum Religionis , ad quam se credebat vocatum , diu sollicitavit, nec obtinuit, potest acquiescere dispositioni divinæ.

15. Valde scrupulosi , anxii & perplexi non sunt apti pro Religione , donec se emendaverint. Tales fiunt per sua dubia inepti ad agendum , quod deberent ; parum in Spiritu proficiunt , imò tandem fiunt laxiores aliis ; nec raro à scrupulis, & à nimia teneritudine conscientiae ad gravia delicta delabuntur. Cum enim similibus soleant dari principia quædam à peccato excusantia , his ita inhærent, ut etiam vera peccata committere incipiant ; quique

in principio percolabant culices, deinde etiam camelos glutiant. Deinde hoc hominum genus plerumque est nimium iudicii sui tenax, si enim hoc submittere alieno consilio vellent, facile à suis lepiditatibus liberarentur. Tales per sæpe in uno puncto, & certa materia sunt scrupulosi, & mille dubiis auguntur, in aliis autem magis necessariis sunt laxi, & minus observantes. Præstant proinde his manere in sæculo; si tales Religionem ingrediantur, facile, ut multis accidisse scio, ex ipso novitiatu remittuntur ad sæculum. Utpote facilius distractione, & occupationum varietate, quàm solitudine juvantur.

Considerationes de Religione, quæ habet stabilitatem loci, ut sunt: Canonici Regulares S. Augustini, Benedictini, Cistercienses, Præmonstratenses.

1. **A**ntiquitas, Sanctitas & Celebritas Ordinis, quòd jam ultra aliquot sæcula floreat, quòd tot sanctos, tot Pontifices, tot Cardinales numeret.

2. Non tantus rigor in jejuniis, corporis mortificationibus ex regula ob- eundis, ut sit periculum valetudinis.

3. Suf-